



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. cI^oI^oCCCXIII.



D. O. M. A.
DISPUTATIONUM ACADEMICARUM,
DE

Prædicationum

Personaliū Paronymia,

Prima,

Quam,

Benevolō Amplissimi Collegii Philosophici
indultu,

PRÆSIDE,

M. JOHANNES HENRICO

Briestern / S.S. Theol. Stud.

in Illustri ac celeberrima ad Albim Academia,

placidæ sobriè Philosophantium dis-
quisitioni exponit

JEREMIAS HERBSE /

Döbelâ-Misnicus,

Augustinus de Doctrina Christi

lib. 2. c. 31.

Disputationis disciplina ad omnia genera quæstio-
num, quæ in sacris literis sunt penetrandæ
& dissolvendæ, plurimùm valet,

WITTEBERGÆ,

die 24. Jan. Anno Tñs 7eotoxias

clō lcc LXX.

Ex Officina Typographica JOHANNIS HAKEN.

22

D. O. M. A.
DISPUTATIONUM ACADEMICARUM

Prædicatorum

Personarum Patronatus

Prædicatorum

Genev. Amplicius Collegii Philosophici

RESIDE

M. JOHANNIS HENRICO

Prædicatorum, S. S. Theol. Stud.

in Illust. ac celeberrimo ad illud destinata

placida locis, et orationibus

positione exponit

JEREMIAS BERTSCH

Docent. Phil. Soc.

Mag. Phil. Soc. (Cant.)

Disputationis, Disputationis ad omnia genera questionum

num. par. in factis, hinc inde procedente

et dissolvende, prout in tali


Disputatione

disputatio, hinc inde procedente

et dissolvende

Ex Officina Typographica JOHANNIS HENRICH





//
‡ ש ש ב



Quod de Republica feliciter insti-
tuenda consilium Divinus dedit Plato, tunc
demum beatas fore Respublicas inqviens,
cum eas aut Philosophi coepissent regere,
aut qui regerent philosopharentur: id pau-
lulum mutatis verbis de insigni Philosophiae in-
SS. Theologia usu non minus gravissime, quam
verissime acutissimus Schegkiius lib. I. demō-
str. proponit verbis: Ego sic judico, tum demum quietas fore & beatas
Ecclesias, si aut Philosophi verè dent operam Theologiae, aut Theolo-
gi piè philosophentur. Ut enim Philosophicae disciplinae non ad or-
ganicorum instar habituum, propter alias res, speciatim Theologicas,
rectè inveniendas, verè & expedite cognoscendas atq; artificiosè per-
tractandas *ἡρώως* addiscantur; sed proprio suo, eoque interno, jam in
ipsa Philosophia sine finiantur: nihilominus tamen ad superiores,
quas vocant, Facultates, Theologiam nominatim, tanquam necessa-
ria quaedam adminicula & instrumenta, commodè applicata, amplis-
simum usum suum magis magisque explicant & uberiores reddunt. Ut
mirum adeò sit, cur, cum tanta Philosophiae in Theologia necessitas sit,
plurimi hodiè, qui per praecepta Philosophica Carthaginis altae non-
dum fundamenta locarunt, Numidico nihil secius vel Laconico mar-
more nitentia in Theologorum fundis palatia extruere ita vano
audeant ausu. Quanta autem Philosophiae realis, tanta certè, si non ma-
jor, nobilissimi illius & verè divini instrumenti, *Logica*, in rebus divi-
nis

nis necessitas est. Si enim accurata *Dialectica* cognitio tantum ad re-
alium disciplinarum Philosophicarum consecutionem confert, ut
absq; ea vix ac ne vix quidem percipi possint, iis autem, propter mul-
tiplicem, quem præstant usum, Theologus carere neutiquam potest,
ipsam etiam *Logicam*, *δευτέρας* saltem, ad Theologiam maximè requi-
ri, hinc consequitur. At non propter Philosophiam solùm, adeoq;
mediante ea disputationis disciplina in rebus Theologicis requiritur;
sed, si vel nullam Philosophicam haberemus scientiam, per se etiam
ab omnibus, ad Theologiam animum qui applicant, maximo excolē-
da studio esset, cùm nullibi æqvè accurata, iudice Amplissimo *Wal-
thero*, Dn. Hospite, Promotore ac Præceptore meo plusqvàm filiali
observantia ætatè colendo, ac in ipsa Theologia, *Logica* efflagiretur
notitia. *Logicam* enim ad operationes intellectus humani, erro-
ris ac ignorantia profundis tenebris, ob miserum cheu! & deploran-
dum Protoplastorum lapsum, hodiè nimium quantum obfuscata, per
intentiones suas *Logicas* tanquam idonea quædam instrumenta, or-
ganicè dirigendas, ut, cujus amore ac desiderio naturali flagramus,
cognitionis veritatem, in quavis oblata materia, promptius & expedi-
tius percipere valeamus, inventam esse, novimus. At ubi quæ-
so mens nostra majori, quàm in rebus Theologicis, rectificatione, aut
accuratiori indiget directione? Si unquam aliàs, in Theologicis maxi-
mè rectificandus est intellectus, non quòd à *Logica* accipiant leges res
Theologicae, sed quia illas ad ductum Scripturæ Sacrae rectè apprehen-
dere, componere & dividere, nec non inferre ac ordinare Christianū
hominem imprimis decet, graviter prælaudatus in prælect. suis *Logicis*
Waltherus annotat. Unde jure merito *Alstedius*, hac in parte cū cana &
sana, Theologū sine *Logica* *Matæologū* vocatè, conveniens antiquitate,
summā *Dialecticæ* in Theologia necessitatē nobis inculcaturus, quod vi-
atori inquit est herma, scribæ calamus, Geometrae circinus & norma, in-
fanti superastra, id Theologo est *Logica*, instrumentū scilicet nō arbitra-
rium, sed necessarium. Et ut cæteras ejus in Theologia nunc taceam
utilitates, quanta vel in solo de Persona Christi articulo *Logica* utili-
tas, imò necessitas sit, saniores non modò Theologi, sed & Philoso-
phi Christiani nōrunt optimè. Quis enim, nisi *Logicus*, cū ad Præ-
dicationes, quas vocant, Personales, ex subsistentia & naturarum in
Christo communiōne originem trahentes, ventum in eo fuerit, Ad-
ver-

versariis nostris Calvinianæ præprimis sectæ Philosophis, os melius
 obturabit? Qvis Theologorum, *Logica* ignarus, imperitum & ἀφι-
 λόσοτον illud Crellii argumētum, quo ex eo, quòd natura humana per-
 sonæ Christi pars non sit, accidens, adeoq; Filium Dei non verum ho-
 minem esse colligens, universum salutis nostræ evertere fundamentum
 conatur, diluet argumentum & sententiam nostram Orthodoxam vin-
 dicabit? Prodeant qui, nescio quo præurgido fastu, spreta Philoso-
 phia, ejusq; famula Logica, magnos sibi in Theologia pollicentur pro-
 gressus & quomodo in hac propositione: Deus est homo, juxta recen-
 tiorū quorundam acutiorumq; nostratum Philosopho-Theologorum
 sententiam, homo paronymicè, ut tecnico rem exprimamus termi-
 no, sive extraessentialiter Deum respiciat & tamen neq; proprium e-
 jus, neq; accidens sit, edisserant. Nunquam scio, extricare sese infe-
 lices hi homines poterunt, nisi quam neglectui prius despiciatuiq;
 ducebant, sumta in manus Logica, non omnem prædicationem in
 aliquod quinque vulgarium Porphyrianorum resolvi prædicabilium,
 ex eadē addiscant. Quæ cum ita sint, & tāta Philosophiæ in Theologia
 utilitas pariter ac necessitas sit, operæ nos pretium facturos existima-
 vimus, si, quantum alia permetterent studia, exercitia nonnulla Philo-
 sophica, usum in sacrosancta & sublimi Theologia non exiguum ha-
 bentia, horis subcesivis, pro ingenii nostri paupertate, conscribere-
 mus & publicæ Eruditorum censuræ subjiceremus. Elegimus autem
 inter cæteras non minus fructuosas atque præclaras illam ipsam de
PRÆDICATIONIBUS PERSONALIBUS arduam & satis intricatam
 materiam. Deterrere equidem ejus nos potuisset, vel debuisset for-
 san, difficultas; at verò quia solius veritatis amore & rei, quam ejus in
 Theologia præstat cognitio, utilitate impulsus, serii problematis hujus:
an Prædicationes Personales sint Logica & in specie Paronymica? tracta-
 tionem aggressi sumus & in magnis rebus voluisse novimus sufficere,
 veniam à Benevolo nobis Lectore facile pollicemur, si, quam unicè
 intendebamus, non ubique assecuti veritatem fuerimus. Tu autem,
 misericors Deus, nostris his ausibus ex alto annue, Claritatis Tuæ ra-
 dio ignorantia obtenebratum tenebris intellectum nostrum illumina,
 linguam mentemq; nostram clementer dirige, ut in Divini Nominis
 Tui honorem & gloriam cedant omnia / Sit igitur, auxiliante Domino,

Διεξόδῳ Tractationis hujus

MEMBRUM PRIUS

Ἐπισκοπεύασιν.

§. 1. **I**Nter Theologos simul & Philosophos eruditissimos quosvis acutè utramque in partem agitari problema hoc: AN PRÆDICATIONES PERSONALES, [quales in sacris literis occurrentes potiores sunt sequentes: Homo est Deus I. Cor. 15. v. 47. Filius hominis est filius Dei vivi Matth. 16. v. 13, 16. Gen. 4. v. 1. Jerem. 23. v. 5, 6. c. 33. v. 15. Esa. 9. v. 6. Marc. 8. v. 27. Luc. 1. v. 31, 35. Rom. 1. v. 3. Sanctum, quod ex te nascetur, filius altissimi vocabitur Luc. 1. v. 35. Homo est filius Dei Matth. 3. v. 17. c. 17. v. 5. Filius Mariæ est Immanuel Matth. 1. v. 23. Filius Dei est filius hominis Joh. 5. v. 27. Germen Davidis est Jehova Jerem. 23. v. 5. Salvator est Jehova Os. 1. v. 7. Verbum est caro Joh. 1. v. 14.] SINT LOGICÆ ET IN SPECIE PARONYMICÆ? ex iis, quæ in εἰσόδῳ differuimus, jam constare arbitramur. Sunt, qui affirmant, non desunt, qui negant. Nos affirmativam cum prioribus defensuri hoc procedemus ordine: primùm in sectione παρασκευαστικῇ errorũ genitricem Homonymiam à quæstionis nostræ terminis sequestrabimus & τοῖς μὴ ζητῶμένοις remotis, τὸ ζητῶμενον proponentes statum controversiæ ritè formabimus. Deinde in sectionis alteræ πολεμικῆς membro priori κατασκευαστικῶ affirmativam nostram probabimus. Tandem in sectionis ejusdem πολεμικῆς posteriori membro ἀνασκευαστικῶ adversariorum lustrabimus argumenta & quid pōderis eis subsit, dispiciemus.

§. 2. Ut a. omnis alia enunciatio duabus principalibus constet partibus, ita problema nostrum in totidem, subjectum scil. & prædicatum, non injuria dispescimus ac ut distinctè de distinctis agamus, circa subjecti evolutionem primùm occupabimur & quidem cum terminus complexus id sit, de *Prædicationis* vocabulo prius dicemus. Definiunt autem communiter Logici prædicationem, quæ usitatè enunciationi æquipollet affirmativæ, quòd sit unius de altero affirmatio, vel, ut alii malunt, quòd sit ejusmodi propositio, in qua prædicatum à par-

A parte rei idē cū subjecto est. Veritas n. cujusvis prædicationis in reali identitate prædicati cū subjecto, quā per copulā, sive formaliter sive virtualiter in ea positam, indigitamus, consistit, h. e. ut ex *Durando lib. 3. dist. 22. quest. 1. B. Stablinus* explicat, ad veritatem propositionis requiritur, ut omne id, quod significatur voce prædicati, conveniat subjecto, intellige, quando prædicatum à determinatione alienante vel diminuente liberum &, ut accuratè Excellentissimus Dn. *Schubartus*, Fautor ac Promotor meus summè devenerandus in *disp. 6. Colleg. Log.* in Illustri Jenensi quondā habiti §. 13. observat, propositio affirmativa non negativa est. Adeoq; perperam copulæ officium esse, prædicatū cum subjecto copulare, licet id appellatio præ se ferre videatur, vulgo afferitur. Cæterum *realis* ad minimum *identitas* illa, quam termini prædicationis significant, esse debet. Cū enim duplex terminorum in prædicationibus detur *identitas*; *realis* puta, quando significata eorundem à parte rei idem sunt: & *rationis*, quando significata illorū non modò realiter, sed etiam nostro concipiendi modo idem sunt, patet, ut vera aliqua dicatur prædicatio, non requiri semper *identitatem rationis*; sed sufficere interdum, vel ut plurimum potius, *realem terminorum identitatem*.

§. 3. Quæ distinctio accuratè observanda est, quia contingere potest, ut prædicatio aliqua, uno eodemq; tempore, vera simul atque falsa evadat. Vera in *sensu identico*, sive quando termini prædicationis *identitatem* habere *realem* concipiuntur, falsa, si *formaliter* etiā, sive *sensu formali* idem esse creduntur. Res clarior fiet uno alteròve exemplo: Ita prædicatio hæc, *album est dulce*, pro diverso respectu, nunc vera, nunc falsa est. Vera scilicet, si *album & dulce* *identitatem realem*, quæ h. l. in suppositione ejusdem subjecti consistit, habere & hoc significare intelligantur: *subjectum albedinis est etiam dulcedinis subjectum*. Ita enim ratione *identitatis* suppositi verificatur hæc propositio. Falsa autem eadem evadet, si *identitatem præterea rationis* vel *formalem* subjectum & prædicatum habere, adeoque nostro etiam concipiendi modo convenire concipiantur. Sic enim utique falsa ea foret, quia aliter concipimus *albedinem*, aliter *dulcedinem*. Eodem modo se res cum *immensitate & immortalitate Dei* habet. Quia enim

enim *immensitas* & *immortalitas* in Deo simplicissimo à parte rei & materialiter unum idemq; sunt, idè ob identitatem istam realem hæc prædicatio : *immensitas Dei est immortalitas Dei*, à vero non abludit ; quod si verò eandem etiam sensu formali & nostro concipiendi modo veram arbitraris, quàm maximè falleris. Sic enim ratione saltem ratiocinata, ut Philosophi loquuntur, omninò differunt. Nam *immensitas*, uti B. Dn. D. Scharsius lib. 2. *Metaph.* c. 16. p. m. 217. loquitur, derivatur ex carentia commensurationis ad aliquod spatium ; sed immortalitas derivatur ex negatione corruptionis. Hinc quia alium de immensitate Dei formamus conceptum & vicissim de immortalitate ejus alium, liquidò constat, immensitatem Dei ab immortalitate, saltem ratione nostri, differre, ut adè prædicatio illa, immensitas Dei est immortalitas Dei, sensu formali vera esse nequeat.

§. 4. Quid per *Personales* intelligendum sit, vix melius addisces, nisi quid per *Persona* vocabulum, à quo illud descendit, intellectum Philosophi velint, prius intelligas. Variam autem illud admittit significationem. Nunc n. *qualitatem* Oratoribus notat, quo pacto Cic. lib. 2. de Orat. dixit. *Sustineo tres Personas, meam, Adversarii & Judicis.* Ita notante Valla lib. 6. *Elegant. Lat. serm.* c. 35. plures in una persona personæ esse possunt, ut cum in aliquo persona liberalis, timidi, divitis ac pulcri est. In Comoediis aut Tragædiis gerere personam Principis, Regis, foeminæ, aut alterius dicimur, quando sub tali habitu eos ratione gestuum & actionum imitamur, vel ut Seneca loquitur, *cum præsefert aliquis quod non est.* Non rarò *accidentia* etiam persona sub se complectitur, ut quando in Grammaticorum scholis tres personas, quæ non modò suppositis, sed ipsis quoq; accidentibus conveniunt, enumeramus. Aliam quoq; observante Magnif. Dn. D. Calov. è *Lexic. Jurid. Scharzii* in *Metaph. Div. part. Spec.* c. 5. p. m. 79. apud JCtos personæ vocabulum significationem habet, quippe quibus nunc *qualitatem & conditionem* hominis, nunc *figuras* in ædificiis eminentes, è quorum rostris aquæ profiliunt, nunc alia denotat. Nobis *suppositum hæc intelligens*, sensu Metaphysicis juxta ac Theologis usitato, significat.

§. 5. Non

§. 5. Non enim vulgaris illa *Severini Boëthii* descriptio, qui pri-
mus personam ita definiisse dicitur, quòd sit *natura rationalis indivi-
dua substantia*, nobis arridet. Primò namq; strictiorem eam suo de-
finito esse, facilè ex eo animadvertimus, quòd non omnibus, perso-
næ quibus ratio convenit, applicari queat. Tribus certè Deitatis per-
sonis, ut de Angelis, quos non nulli etiam citra successivam intelle-
ctionē intelligere contendunt, nihil nunc dicamus, illam neutiquam
convenire palàm est, quia non per ratiocinationem, sed una simplici,
eaq; intuitiva intellectione omnia uno actu cognoscunt. Deinde
latiorem etiam eam definito suo non immeritò pronunciamus, quòd
ambitu suo talia etiam, quæ personæ minimè sunt, complectatur. Sub-
sumimus enim sub hac propositione: Omnis naturæ rationalis indivi-
dua substantia est persona. Atqui essentia divina, anima rationalis, hu-
mana Christi natura sunt naturæ rationalis individuæ substatiæ. E. sunt
personæ. Conclusionem nemo sanioris mentis admittet & contra-
rium ex subsequentiis patebit. E. cum ex veris nil nisi verum sequa-
tur, falsitatis accusanda erit vel major, vel minor. Non hæc, quæ o-
mnium Philosophorum, quibus de meliori luto præcordia Titan fin-
xit, consensu & rationibus invictis contrarium svadentibus nititur.
Falsa ergò dicenda erit *Boëthii* nostri allata descriptio.

§. 6. Pejorem hac *Boëthii Laurentius Valla* l. 6. *Elegant. lat. serm.*
c. 35. personæ descriptionem affert, in qua qualitatem, non substantiam
personam significare, his inductus rationibus, quòd communi loqvèdi
usu personæ non substantiam, sed qualitatem notet, quòd q; ali-
às, si substantiam denotaret, tres distinctas dari essentias di-
vinas, sicq; tres realiter distinctos Deos, quia tres realiter distinctæ
dantur personæ divinæ, sequeretur, contra Boëthiū nō erubuit asserere
Huic *Adamus Goslavius* calculū adjicit, quādo lib. 3. cōtra *Keckerm.* c. 4.
inquit: Viderit *Boëthius*, quomodo persona sit substantia; sunt n. in Deo
tres personæ, at ibi nō sunt tres substatiæ. Humanæ rationi, sibi relicta,
utiq; mirū si modò non contradictoriū, videtur, mī *Goslavi*, singula-
rē & numero unā substantiā à tribus participari personis. At quicquid
sit, ex sacris tamē literis indubitatò novimus, unam individuā essentiā
divinam tribus distinctis communem esse suppositis, sine sui multipli-
catio-

B

catio-

cautione. Nec fide tantum id constat, sed accuratiores etiam Philosophi Christiani sanæ rationi, unum numero & alteri citra multiplicationem commune esse, ne utique repugnare, ex formalitate singularis substantiæ, quæ, quæ talis, non subsistendi importat in communitatem, jam dudum demonstrarunt.

§. 7. Personam hinc suppositum intelligens denotare diximus, restat, ut paucis, ne quid inexplicatum maneat, quid suppositum significet, indicemus: Suppositum dicunt Philosophi substantiæ singularis completæ per se & incommunicabiliter subsistendi modum. Substantia autem suppositum esse debet, ut quæ alteri t. q. subjecto inexistunt, excludantur accidentia: eaque singularis, quia universales non nisi in singularibus revera & formaliter subsistunt: completa autem præterea esse debet, ut partes, quæ, subsistentia totius gaudentes, naturam suam esse incompletam habent, adeoque anima etiam rationalis, sive in unione, sive extra eam spectata, excludantur. Etsi enim anima rationalis à corpore separata non actu pars corporis, aut ei communicata sit, quia tamè ex natura sua ipsi comunicabilis & ad ejus perfectionem essentialiter ac per se ordinata est, suppositi nomine venire minime potest. Vis materialis suppositi, reliquum est, ut formale quoque ejus, quantum fieri potest paucissimis discutiamus. Diximus autem in descriptione superius allata, illud in modo sive ratione per se & incommunicabiliter subsistendi consistere, sive substantialè quondam per se & incommunicabiliter subsistendi modum esse. Ubi per modum non unum ex quatuor modis Logicis, sed determinationem alicujus entis, adeoque modum Metaphysicum, eumque non sensu generali, quo omne id, quod restringit vel determinat aliquid ad certam speciem, modum vocamus; sed speciali, pro tali entitate, quæ actu rem singularem afficit, eamque in se indifferentem determinat, sumtum intelligimus. Modus enim subsistendi s. suppositivitas substantiam singularem in essendo completam, ultimam determinationem & ultimum subsistendi actum, natura ipsi debitum largiendo, complet, ut ad actiones edendas idonea fiat. De cætero, incommunicabilis suppositivitas illa esse debet, non saltem entitativæ divisionis, uti communiter hoc explicant, quò essentialiam divinam, quæ substantia quidem singularis completa, non tamen

tamen, quæ præcisè spectatur, incommunicabilis, sed, ut sacra nos instruunt literæ, tribus suppositis divinis communis est, à participatione definitionis hujus excludere queant; sed præcipuè, quia prius jam voce singularis infertur, ad alios subsistendi modos, quibus ulterius in subsistendo perficiatur & ad ultimum subsistendi actum deducatur, communicationem negando.

§. 8. Dicendum nunc esset, in quo formalis ratio personæ vel suppositi consistat, an in nuda negatione, ut *Scotus* cum asseclis suis contendit, an verò positivè ea explicanda sit, prout *Suarez* demonstrare nititur: quidq; persona naturæ superaddat, an existentiam vel singularitatem, an peculiarem aliquam entitatem aut rem positivam, an aliud quid addat & quæ plura hîc consideranda forent. Sed quia de his non ex professo hic disquirere animo sedet & hæc atq; proximè subsequentiæ præmunitionis saltem loco adduximus, iis atq; similibus hæc vice missis, ad alia, quæ magis è re nostra futura sunt, progredimur, quousq; se incommunicabilitas illa subsistendi, quam §. præced. formale personæ constituimus, extendat, breviter explicaturi. Accuratè igitur observandum, quando ratio formalis personæ in incommunicabilitate consistere dicitur, non hunc sensum esse, quasi nullo prorsus ea modo communicari possit, aliud enim fides nos Christiana in mysterio incarnationis docet, ubi personalitatem divinæ Christi naturæ in unione personali humanæ naturæ assumptæ & propria hypostasi destitutæ, salva tamen sua formali ratione, communicatam, adeoq; ex duabus diversis naturis unam personam *σύνθετον* factam esse, credimus, sed quòd, explicante *Magnif. Dn. D. Calov. part. spec. Met. div. c. 3. p. m. 45* tum respectus saltem ad alia supposita vel personas habeatur, quòd nempe unius suppositi subsistentia alteri supposito vel personæ communicari non possit, eò quòd unaquæq; persona per se ultimum subsistendi actum incommunicabiliter obtineat, interim tamen non repugnat, quòd minus subsistentia unius substantiæ alteri, propria hypostasi destitutæ (non enim incommunicabilis subsistendi ratio in ipsa formali substantiæ ratione, ex mente accuratiorum Philosophorum, includitur) substantiæ, licet non effectiva communicatione, vera tamen, mediante communicatione *κατὰ συνδύασιν*, participatione, communicetur, ipsamq; *ἀντιπροσάξιας* suæ etiam participem, reddat

reddat, quia in ejusmodi communicatione non terminatur ulterius persona communicata, sed ipsa potius terminat naturæ, cui communicatur, existentiam.

§ 9. Ex hisce, quæ de communicatione personalitatis alteri naturæ diximus, non parum lucis distinctioni illi, qua personam vel suppositam in *σύνθετον* & *ἀσύνθετον* communiter dividunt, accedit. Quando enim suppositum vel persona, propria subsistentia, è natura ipsius, substantialibusq; principiis resultante, sola subsistit, nec eandem alii etiam naturæ, per unionem arctissimè conjunctæ, communicat, *ἀσύνθετος* persona, vel *ἀσύνθετον* vocatur suppositum; sicut viceversa *σύνθετον* personam vel suppositum illud jure dicimus, quod *ἀσύνθετον* suam non sibi solam habet, sed etiam alteri, per arctam unionem ipsi juncto, participativè tribuit. Sic quando ignis per se extra ferrum, subsistit, suppositum *ἀσύνθετον* & simplex dicendū erit, uti & ferrum, antequam ignitum fiat, at ubi ferrum intimè permeaverit, eiq; propria suppositalitate actu nunc amissa, manente tamen competentia, ceu substantia *ἐνυπὸς αὐτῷ*, arctissimè unitus fuerit, ferrum non simplex amplius & *ἀσύνθετον*, verùm *σύνθετον* dicetur suppositum. Personæ *συνθέτης* nullum omninò in universa Natura exemplum de facto habemus, licet de possibilitate rei hujus multa, non tam subtiliter, quàm otiosè Scholastici disputent, an subsistentia Angelica humanæ naturæ ita uniri possit, ut complexum illud & Angelus esset & homo, disquirentes. Unicum ex revelatione Spiritus S. in sacro codice invenimus exemplum, ubi secundam Deitatis personam, quæ ab æterno proprium *εἶνα ὑπὸς αὐτῶν* & naturam propria sua personalitate determinatam habuit & sic *ἀσύνθετος* persona fuit, in tempore naturam humanam singularem *ἐνυπὸς αὐτῷ* assumpsisse, suamq; largitam illi subsistentiam & sic ex duabus naturis de se prorsus diversis unam personam *θεάνθρωπον* factam esse legimus. Quæ certè, quia post assumptam humanam naturam per unionem personalem in suam hypostasin, non solitariè amplius subsistit, sed ob intimam unionem commercium cum natura assumpta habuit, cumq; ea totum personale constituit, non *ἀσύνθετος* [quia post unionem non *λόγος* mansit *ἀσάρκων* sed *ἐνσάρκων* factus est,] verùm *σύνθετος* persona nunc erit nominanda.

§.10. Dum

§. 10. Dum mentionem *unionis personalis* hic facimus, lubet de ea vel tribus verbis, operosè enim hic omnia deducere nostri non est instituti, aliquid afferre, præsertim cùm in ea fundentur & ex illa iudicari *Prædicationes nostræ personales* debeant. Intelligitur autem per unionem personalem hoc loco non talis, quæ ita respectu saltem termini ad quem dicitur, quando scil. unio animæ & corporis organici in homine personalis dicitur, quia unam personam constituit. Etiam si enim in Athanasiano symbolo confiteamur, Deum & hominem unum esse Christum, sicut anima rationalis & caro unus est homo, non tamen id sibi illa verba volunt, quasi ἀπλῶς καὶ κατὰ πάντα unio illa mystica duarum naturarum in Christo cum unione animæ & corporis humani conveniat, sed quòd κατὰ τινὰ respondeat & similitudinem ac analogiam quandam cum ea agnoscat. Sed talem hic intelligimus unionem personalem, quæ divina Christi natura humanæ, propria substantia destitutæ, communicavit ὑπόστασιν, ita ut duæ postmodum naturæ, divina & humana, realiter quoad essentiam distinctæ, salvis utriusq; proprietatibus, in una ὑπόστασει realiter unitæ subsistant & unam personam σύνθετον constituent. Humanæ dicitur naturæ, propria substantia destitutæ. Etsi enim Sociniani humanam Christi naturam suppositum esse velint, falsitatis tamen sententia hæc à nostratibus tùm Theologis tùm Philosophis jamdudum convicta est, tùm ex formali personæ ratione, tùm ex inconvenienti, quod inde flueret, tùm denique, quòd singularis natura, quæ talis, non inferat ἀνυπαρξίαν & incommunicabilem subsistendi rationem, sed incommunicabilem saltem dicat existentiam, quæ pluribus Inferioribus ad modum universalium communis esse nequeat. Conferantur præter Magnif. Dn. D. Calov. part. spec. Met. Div. c. 3. p. 33. & subsequ. Balthas. Meisn. part. 1. Phil. sobr. p. 958. Stegm. in Anti-Pbotin. disp. 5. p. 45. Kesler. Metaph. Pbotin. part. spec. p. 257.

§. 11. Destituta autem est humana Christi natura personalitate sua, non quasi ex se incompleta fuerit substantia in ratione subsistendi & ultimus substantiæ terminus ex natura ejus non redundaverit, sic enim ne substantia quidem vera, adeoq; nec verus homo fuisset, quia omnis omninò substantia, realiter existens, εἶναι ὑπόστατικόν habere debet,

debet, sed ex accidenti saltem & rāione status sui ad ultimam illam determinationem, natura sibi debitam, non pervenit, quia à fortiori, in quod assumpta est, principio impediatur, ut ἀνυπαρξία propria essentiam humanitatis non insecuta fuerit, interim tamen subsistentiam habet, licet non propriam, & quidem nobiliorem, quàm si ἀνυπαρξίατ⊙ esset, dum infinita τὸ λόγος subsistit subsistentia, adeoq; non est planè ἀνυπαρξίατ⊙, sed ἐνυπαρξίατ⊙, non quidē eo sensu, quo personæ SS. Trinitatis dicuntur ἐνυπαρξίατοι; [in SS. enim Trinitate est alius & alius, non aliud & aliud, in Christo autem ἑαυτῶν ἑαυτῶν est aliud & aliud, non alius & alius] sed alio sensu, de quo vid. *Alsted. Theol. Schol. p. 119. § 123.* licet non sit ἀνυπαρξίατ⊙.

§.12. Ex unione hac personali, ceu fundamento, *predicationes hypostaticæ s. personales* oriuntur. Tria enim hæc in unione rerum se invicem consequuntur, unio, unitorum communicatio & communicatorum prædicatio. Scilicet quæ intimè unita sunt, invicem communicant & quæ communicata sunt, eorum unum prædicatur de altero. Describunt autem *predicationes istas personales* nonnulli per enunciationes, in quibus natura humana prædicatur de divina vel contra in concreto propter unionem personalem: alii per enunciationes, in quibus duæ substantiæ disparatæ vocabulis substantivis ob unionem arētissimam, prorsusq; inusitatam affirmatè de se invicem prædicantur: non pauci enunciationes, in quibus concretum unius naturæ affirmatur de concreto alterius naturæ in casu recto, easdem dicunt, Nobis nulla horum & speciatim nec ultima, quæ inter enumeratas exquisitissima videtur, quod definito suo strictior sit, aridet. Cùm n. natura prædicationum personalium sit, ut immediatè representent & formaliter exprimant tum subsistentiæ, tum naturarum communionem, facilè patet, non unicū earum dari genus, quo concretum unius naturæ affirmatur de concreto alterius naturæ in casu recto, quippe quod contra *Nestorianos* subsistentiæ saltem immediatè & formaliter asserit communicationem; sed præter hoc aliud etiam, naturarum communionem adversus *Samosatenianos* affirmans, quo de abstracto unius naturæ effertur naturæ alterius communi-

manio in concreto, inveniri, manifestum est. Quod quia definitioni huic non includitur, iusto strictiorem eam esse, consequitur. Ut igitur ea cum definito suo convertatur, ita nos eam efformamus: *Predicationes Personales sunt enunciationes, in quibus vel concretum unius naturae de concreto alterius naturae in casu recto vel de abstracto unius naturae concretum alterius naturae affirmatur.*

§. 13. Circa quam definitivam propositionem ad *predicatum* potissimum nobis est respiciendum. *Enunciationis* nomine, quod loco conceptus contrahibilis in definitione posuimus, oratio, cui verum vel falsum in est, intelligitur. Caetera a definitionis verba, conceptum contrahentem sistunt, ut felicius capiantur, praenotandum, terminos in enunciatione positos, vel *abstractos*, qui simplicem significandi modum habent & solam formam significant; vel *concretos*, qui, compositum significandi modum habentes, praeter formam, subjectum etiam connotant, cumque eo quasi concresecunt. Quia verò abstracti & concreti vocabula magnam patiuntur *ὁμωνυμίαν*, ideò in errorum ne delabamur praecipitia, quo sensu ea hinc veniant, breviter exponemus. Non ergò idem nobis concretum aut abstractum, quod adjectivum Grammaticis, aut substantivum est. Nec de illis hinc solliciti abstractis sumus, quae vel secundum rem, vel secundum rationem, vel secundum rem & rationem simul abstrahunt. Primi generis sunt, quae à materia singulari tantum abstrahunt. Secundi, quae rem ab omni materia sensibili, tam universali, quam singulari, at non *κατὰ πρᾶγμα*, sed *κατὰ λόγον* abstrahunt. Tertii denique generis sunt, quae ab omni materia *καὶ κατὰ λόγον καὶ κατὰ πρᾶγμα* abstrahunt. Multò minus Physicam ac realem concretionem aut divulsionem, sed Gnostologicam ac mentalem, quae abstrahere nihil aliud est, quam considerare unum, non considerato altero, quod tamen physicè ac realiter cum eo conjunctum est, & concresecere vel concretum esse subjecti cum sua forma considerationem involvit, hinc intelligimus abstractionem & concretionem. Et abstractionem quidem non positivam, quae cum positione contrarii concipitur, sed Praecisionis, eamque non Accidentium, sed substantiarum & quidem, quae substantias, à subjecto essentiae, non ab existentia quae praescindit. Quae substantias dixi, ut, cum abstracta & concreta duplicia sint, substan-

stantiālia & accidentalia, de substantialibus abstractis sermonē nobis esse, innuerē, uti & cōcreta substantialia, quæ vel substantiva sunt vel adjectiva, nō tam substantiva, quā adjectiva hīc attenduntur. Ubi hoc præterea observes velim, quod concreta & abstracta in præfenti materia, ut ex Theologia hæc adducere liceat, vel *personæ* sint, vel *naturarum*. *Concretum personæ* est, quod utramq; Christi naturam, una subsistentia terminatam, significat. *Abstractum* verò *personæ* est, quod non utramq;, sed alterutram saltem naturam exprimit. *Concretum naturæ* distinctè naturas cum connotatione suppositi notat. *Abstractum* contra *naturæ* solam formam vel quidditatem, nō connotato supposito, significat. Hisce præmissis, non ita difficile erit intelligere, quid illa in definitione posita sibi velint verba: *in quibus vel concretum unius naturæ, de concreto alterius naturæ, vel de abstracto unius naturæ alterius concretum affirmatur.*

§. 14. Unicus hīc superest scrupulus quē paucis eximere cōabimur. Cū n. ex superioribus notū sit, concreta, vel terminos cōcretivos, sive substantivi illi sint, sive adjectivi, duo involvere, *subjectū & formā*, quorum unum in recto sive Nomi nativo, alterum in obliquo & alio casu significant. Utrum a. eorum in recto, utrum in obliquo significant, non major Autorū super hæc re, quā horologiorū, datur cōvenientia. Nos, dimissis h. l. concretis adjectivis, utpote nihil aut parum ad institutum nostrum facientibus, de concretis substantivis, quæ ex natura & suppositalitate constant, ut paucis nos expediamus, dicimus, ea in Prædicationibus Personalibus nec, ut *Thomas* part. 1. sum. Theol. q. 39. art. 4. voluit, in recto semper significare suppositū, in obliquo naturam, nec, ut *Gabrieli Vatzquez*. p. 3. sum. Theol. Tom 1. disp. 63 c. 4. n. 23. placuit, in recto perpetuò dicere naturā, in obliquo verò suppositū vel subsistentiā, sed, uti id pluribus subtilissimus *Slepogtius* disp. Acad. 1. ostendit, nunc naturam, nunc suppositum in recto dicere, prout significandi modus diversus est. Concreta autem naturarum in prædicationibus personalibus, nunquā in recto pro naturis, sed semper pro hypostasi supponunt, naturas tantū in obliquo connotantes. Unde fluit, enunciationes hæc personales, in quibus concretum unius naturæ de concreto alterius naturæ affirmatur, verificari propter identitatem ejus, quod significant in recto, hypostasin scil. quæ utriq; naturæ, licet inæqualiter, communis est. Atq; hæc de problematis nostri subjecto breviter annotasse sufficiant.

Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515








ACADEMICARUM,

onum

onymia,

gii Philosophici

HENRICO

neol. Stud.

Albim Academia,

ntium dis-

it

BGEI

us,

Christi

ia genera quæstio-

nt penetrandæ

nùm valet,

tonías

NIS HAKEN.